

ĪTALIA

V

CAERULEUM est Ītalīae caelum. Ītalī caelum caeruleum amant. Britannis quoque caelum caeruleum grātum est, sed nōn saepe Britannīae caelum caeruleum est. Ītalīae agricolae olīvās et vīneās laudant, iuvenčīs albīs agrōs arant. Placidī sunt oculī iuvenčōrum. Placidī et pulchrī sunt iuvenčī. Ītalīae agricolīs grātī sunt iuvenčī. Britannicī agricolae nōn iuvenčīs sed equīs agrōs arant. Validī et pulchrī sunt equī magnī. In Ītaliā clīvī multī sunt. Ītalī in clīvīs parvīs oppida aedificant. Oppidānī oppida in clīvīs habitant. In campō vīneae et olivae sunt—in clīvīs oppida. Per campōs viae Rōmānae sunt. Longae et rectae sunt viae Rōmānae. Oppidānī olīvās et ūvās, agricolae pecūniam dēsiderant. Itaque oppidānī pecūniam agricolīs dant, et per viās Rōmānās agricolae olīvās et ūvās ad oppida in plaustrīs portant.

RŌMA

VI

ŌLIM Rōmānī oppidum parvum habitābant. Nunc magna et splendida est Rōma; magnae et lātae sunt oppidī viae. In angulīs viārum rosae sunt; Rōmānī templīs et monumentīs viās ornant. Ōlim in Forō Rōmānō templa multa et splendida erant. Cotīdiē virī Rōmānī in Forō ambulābant. Albae erant togae virōrum, sed rubrae et caeruleae et croceae erant pallae fēminārum. Arae quoque in Forō erant. In ārīs Rōmānī victimās multās Deīs Rōmānīs mactābant. Nōn iam templa sunt in Forō Rōmānō. Nōn iam mactant Rōmānī victimās in ārīs. Sed etiam nunc pulchrum est Forum Rōmānum. Multae sunt ruīnae; rosae multae inter ruīnās sunt. Inter ruīnās et rosās lacertae parvae properant. Pulchrae et iūcundae sunt lacertae. Cicādae quoque undique cantant. Lacertīs et cicādīs grātum est caelum caeruleum.